Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8381
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

tenere est quasi ex benignitate blandi
sed sinistram ad gladium mittit quia
latenter ex malitia perimit

In exposicione euangeliorum omelia xxxiiii

Quod David quia plus alienam uxorem concupiscere non timuit

David de purgacione intellectorum per medicinam suorum reprehensionis excessum tractare adiunctum est quod David qui prius alienam uxorem concupiscere non timuit, postmodum uero quia aquam de cisterna concupisset expauit. Cogitandum summopere cuique quia se illicita meminit commisisse ut a quibusdam etiam licitis studeat abstinere quatinus per hoc conditori suo satisfaciat ut qui commisit prohibita sibimetipsi abscidere debeat etiam concessa et se reprehendat in minimis qui se meminit in maximis deliquisse. Proxima sunt que loquor si hec ex sacri eloquii testimonio non affirmo. Lex certe ueteris testamenti alienam uxorem concupiscere prohibet. At rege uero forcia iubente militibus uel desiderata aquam non penaliter uetat. Et cuncti nouimus quod David concupiscentie mucrone transfixus alienam coniugem et appetiuit et abstulit. Eius culpa uerbera sunt secuta et malum quod perpetrauit per penitencie lamenta correxit. Qui cum longe post contra hostium cuneos sederet, aquam bibere ex cisterna ex desiderio uoluit. Cuius electi milites inter acies aduersancium medias erumpentes aquam quam desideraret illesi detulerunt. Sed uir flagellis eruditus semetipsum protinus cum periculo militum aquam desiderasse reprehendit. Et namque domino fundens libauit sicut illic scriptum est: libauit eam domino. In sacrificium quippe domini aqua effusa conuersa est quia culpam concupiscentie mactauit per penitenciam reprehensionis sue. Qui ergo quondam concupiscere alienam coniugem nequaquam timuerat, postea quia aquam concupisset expauit. Quia enim se illicita perpetrasse meminerat contra semetipsum iam rigidus etiam a licitis abstinebat.

In libro Iob xxv et in capitulo xxxii

Quod David populum numerando peccauit

Cum de non iudicanda a subditis uita actuque regentium tractaretur, adiunctum est quod David populum numerando peccauit. Sic pro qualitatibus subditorum disponuntur acta regentium ut sepe pro malo gregis etiam uita boni delinquat pastoris. Ille enim deo attestante laudatus, ille superbie inflatus populum numerando peccauit et tamen uindictam populus David peccante